

Georg Mejer    Jacobus Repentin


## **Disputatio IIX. Collegii Metaphysici : De Vero**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729122174>

Druck    Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 9/16

35 1717





DISPUTATIO IIX.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
VERO

Quam

AUSPICE CHRISTO

*In alma Rosarum Academia*

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*

JACOBUS REPENTIN

Plaviensis Megap.

*Ad diem 26. Septemb. horis pomeridianis.*

---

ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno 1715 CX.

COLLEGIUM THEOLOGICUM  
V. L. R. O.  
A. GEORGIO MEIERO  
Dabulad. Sen.  
Difchadun. p. p.  
JACOBUS REBENTIN  
Pflanzl. Mag.  
KOSTOCHE  
Ex Typographia scriptoriae Hylbrandi  
Anno d. 17. 17. 17. 17. 17.



## DE V E R O.

### Theorema I

Verum uno modo non sumitur.



*V*emadmodum intellectus prior est voluntate: sic quoque verum bono. Hoc enim objectum est voluntatis, illud intellectus. A vero itaque rectè ordimur.

II. Cum autem verum ob diversam sui considerationem ad unam disciplinam referri nequeat, opera pretium nos facturos existimamus, si varias ac diversas veritatis acceptiones excutiamus: hac enim ratione eò felicius insequentibus progredi poterimus.

III. Est autem veritas primò alia in actu exercito, qua respectu rerum, quibus applicatur, consideratur: alia in actu signatur, qua in se & ratione essentia sua consideratur. Non illa, sed hac propriè considerationis est Metaphysica. Deinde veritas alia dicitur in cognoscendo, quando intellectus noster ipsis reb. red- datur conformis: alia in significando, quando intellectus noster conceptus sive notiones secundas effingit, easque rebus sive notionibus primis imponit: alia in essendo, qua est extra intellectum nostrum in rebus. Veritas in cognoscendo ad Physicam refertur; veritas in significando ad Logicam; veritas in essendo, quia in actu signato consideratur, jure in Metaphysica proponitur. Sanè & reliquarum specierum veritatis injicere solet Metaphysica mentionem: verum eatenus solium, quatenus ab hac transcendentali distinguuntur.

A 2

Theo-



### Theorema II.

Veritas est conformitas inter rem & intellectum.

*Haud immeritò v. de conformitate, cuius in theoremate fit mentio, dubitatur, qualis illa sit, utrum intellectus congruere debeat cum re, an vero res cum intellectu, h. e. utrum intellectus sit norma & mensura rei, an vero res mensura intellectus. Pro quo dubio tollendo distinguendum est inter intellectum divinum & humanum. Divinus est mensura veritatis in rebus. Quemadmodum enim res artificialium dicitur vera, quando congruit ad formam exemplarem in mente artificis consistentem: sic quoque res naturalis omnium demum vera dicitur, quando ad intellectum divinum congruit. Veritas vero in rebus est mensura intellectus humani, quia res non propterea dicitur vera, quòd intellectus nosse eam concipiat veram: sed quòd eam, uti est, concipiat. Et profectò si non res mensura esset intellectus nostri, sed intellectus rei, in magno versaremur periculo, ne nullum verum haberemus: Inconstans enim est & mutabilis intellectus noster. Jam vero quis nescit mensuram omnem debere esse perpetuam & immutabilem? Ut taceam quòd nihil verum esset, nisi quòd homo crederet verum, quòd certè est absurdissimum. Non credit impius Deum esse, Ergòne Deus non est? scilicet v.*

### Theorema III.

Datur veritas incomplexa, sive veritas in terminis simplicibus.

*Quia veritas, qua in propositione reperitur, in terminis simplicibus fundatur. Veritas enim si non esset in terminis simplicibus, non posset etiam esse in eorundem compositione. Igitur si datur veritas complexa in propositionibus, dabitur quoque incomplexa in terminis simplicibus. Præterea in terminis simplicibus est congruentia*

gruentia cum intellectu: Res omnes cum intellectu divino congruunt. Ubi autem est congruentia inter rem & intellectum: ibi quoque est veritas. Idem Philosophus quoque docet lib. 2. Met. cap. 1. inquit: ὅσα ἐκείνου ὡς ἐκείνου εἶναι, ἔτι καὶ τῆς ἀληθείας. Ut secundum esse unumquodque se habet: ita etiam secundum veritatem, e quibus verbis hunc syllogismum extruimus: Vbi est esse, siue essentia, ibi quoque est veritas. Atque in terminis simplicibus est esse, siue essentia. E.

#### Theorema IV.

Veritas Philosophica non est contrarie opposita veritati Theologicae.

I. Veritatem Philosophicam minimè Theologica contrariari, probatur. 1. Quia veritas Theologica & Philosophica non respiciunt idem secundum idem. Veritas enim Philosophica considerat subjectum suum, siue res sibi substratas è principijs, qua fluunt ex rerum ipsarum natura & essentia: Theologica vero nititur divinis ac peculiaribus revelationibus, quas sacra oracula suggerunt. Contraria autem juxta Philosophum omnia respiciunt idem secundum idem. 2. Veritas Philosophica subordinatur Theologica: Si enim una alteram destrueret, nulla firma disciplinarum esset certitudo. Subordinata autem non pugnant, tritum habet Logicorum pronunciatum. 3. Quia utraq, tam Theologica, quam Philosophica veritas à Deo profiscitur: Veritatem enim Philosophicam Deus implantaverat Adamo ante lapsum, cujus reliquia in nos quoque sunt derivata.

II. Hic vero ab alijs obijcitur: 1. Quod veritas Philosophica Deo sit inimica: quia opus carnis. 2. Quod plurima dentur exempla in Theologia vera, qua tamen in Philosophia sint falsa: ut quod Theologia dicit, ex nihilo aliquid factum esse, nimirum hoc Universum: hominem quèdam non ex conjunctione maris & femina natum esse, Christum: & qua sunt id genus alia, qua contra principia Philosophica esse videntur.

III. R e-

111. Respondemus vero ad argumentum primum, veritatem Philosophicam neg. Deo inimicam esse, neg. opus carnis. Non Deo est inimica, quia originem trahit à Deo: Omne enim bonum est à Deo: Non est opus carnis, quia opera carnis sunt à spiritu illo maligno Sathana: Veritas vero nulla à Sathana, qui est pater mendaciorum. Deinde opera carnis coinquinat hominem: veritas vero Philosophica non inquinat, sed potius perficit. Ad secundum, Philosophiam, exempla illa è sacrís literís petita falsa nō pronunciare, cum eorundem cognitionem habeat nullam. Quod autem quis falsum pronunciat, ejus cognitionem habeat necessum est. Exempla quod attinet allata, limites Philosophia longissimè transcendent, ideoq. de ijs Philosophia nihil omnino aut novit, aut precipit, multo minùs contradicit: quia quod de re quapiam nihil omnino novit, illud eidem nō contradicit. Fatemur quidem, Philosophia in ea fuisse sententia, mundum non esse creatum ex nihilo, sed valde praposterè ejus, quod ipse deliquit Philosopho, ipsa sana insinuat Philosophia. Docet Philosophia, naturam ex nihilo nihil producere posse, idem docet quoq. Theologia, ideoq. mundi creationem ex nihilo Theologia non naturæ, sed Deo, qui supra est naturam adscribit. Non itaq. contrariè invicem opponuntur principia hæc: Ex nihilo nihil fit: Ex nihilo factus est mundus. Item: homo nascitur non nisi ex conjunctione maris & femina: Christus natus est sine conjunctione maris & femina. Nam non idè utrobiz servatur respectus. Est n. unus naturalis, alter supernaturalis. Ubi autem est diversus respectus, ibi planè omnis expirat contradictio.

### Theorema V.

Vero opponitur falsum.

Falsum veritati transcendentali oppositum aequipollet non Enti: Quia enim verum cum Ente convertitur, utiq. necessariò sequitur, quod falsum cum non-Ente convertatur, quia Contrariorum contraria est ratio. Oppositum vero veritati in cognoscendo dici-

do dicitur discōvenientia rei cū intellectu Oppositū veritati in significādo est disconvenientia signi cum signato. Veritati in apprehensione simplicium non falsitas, sed ignorantia opponitur: Quando enim rem concipio, veram eam concipio, quia Entitatem ejusdem concipio: quando vero rem non concipio, non falsam concipio, sed penitus eam ignoro.

### Theorema V.

Falsitas non inest rebus extra intellectum.

I. *Timpterus* Ens vitiosissime dispefcens in verum & falsum, contendit falsitatem rebus ipsis etiam extra intellectum proprie inesse lib. 2. Met. c. 8. q. 11. Rationes habet hasce. 1. Quia sicut veritas est conformitas seu congruentia Entis cum suo archetypo, & in rebus extra intellectum proprie inest: ita falsitas est difformitas & incongruentia Entis cum suo archetypo, & non minus proprie, ac veritas rebus extra intellectum inest. 2. Quia res extra intellectum secundum id, quod est, proprie dicitur vera, & secundum id, quod non est, dicitur falsa. 3. Quia res tam incomplexa, quam complexa alia proprie dicitur vera, alia falsa.

II. Prima nihil probat: quia principium petit. Dicit falsitatem esse difformitatem & incongruentiam Entis cum suo archetypo, quod non querebatur. Dicit ulterius nō minus falsitatem proprie, quam varietatem rebus extra intellectum inesse: hoc vero non asserendum, sed probandum erat: quia in controversiam venit. Deinde quia intellectus divinus est mensura veritatis in rebus, nulla difformitas, sed conformitas mera locum habere poterit. Impossibile enim est, ullum Ens naturale positivum posse difforme esse intellectui divino. Altera ratio sine ratione & verum & falsum de re una & eadem pronunciat. Res secundum id, quod est, dicitur vera. Ergo non dicitur falsa. Sed inquis: non dicitur falsa secundum id quod est, sed secundum id quod non est. Bene est. Igitur non proprie seu positivè, sed merè negativè res dicitur falsa, ratione vide.

videlicet eius, quod in re non est. Tertia iterum principium petit. In re complexa sive propositione aliquando falsum esse scimus: sed in incomplexa sive terminis simplicibus id reperiri probari debet. Instas, nihil esse in propositione, quod non fundetur in terminis simplicibus. Respondeo, falsitatem in propositione oriri non ex terminis simplicibus simpliciter, sed ex vitiosa eorundem compositione, quando videlicet intellectus noster ea rebus attribuit, quae per naturam ipsam non competunt. Sic hominem esse lapidem, falsum est, quia intellectus conjungit duo per naturam disjuncta, licet interim utrumque Ens in natura sua verissimum sit.

### Theorema VII.

Ex principio falso verum dogma per se non potest extrui.

I. Verum & falsum quia contraria sunt, non potest unum alterius esse causa, quemadmodum calor nunquam causa est frigiditatis, neque frigus caloris. Nunquam igitur est falsitate veritas elicictur. Quod a. Philosophus lib. 2. prior. anal. cap. 2. docet, est falsis praemissis veram aliquando sequi conclusionem, in eo respicit formalem tantum syllogismi structuram, secundum quam vera conclusio est falsis praemissis sequitur quidem, sed non necessitate, ut loquitur, materia sive consequentis: sed forma sive consequentia. Mathematici etiam in suis demonstrationibus falsis haud raro utuntur hypothesebus, sed ex illis non tam per se, quam per accidens vera dogmata extruere dicuntur.

### COROLLARIA.


I. An veritas aliqua sit in rebus ante operationem intellectus nostri? A.

II. An veritas ratione essentiae suae sit unica: ratione vero subiecti multiplex? A.


III. An Ens recte dividatur in verum & falsum à Timptero lib. 2. Metaph. c. 8. ? N.











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esset bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document